

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Aeli Donati qvod fertvr commentvm Terenti

Donatus, Aelius

Lipsiae, 1905

Praefatio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1583](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1583)

## Praefatio.

Commenti Donatei libris manuscriptis, quos in praef. vol. I p. VII—XXIV descripsi atque percensui, Remigius Sabbadini, vir doctissimus deque Donato optime meritis, addidit fragmentum in thesauris Ambrosianae bibliothecae nuper repertum eiusque cum accurata descriptione edidit collationem integram in 'Studi italiani di filologia classica' XI (1903) 185—199. Exstat autem in codice Ambrosiano L 53 sup. chartaceo, qui varia complectitur opuscula; ibi sine titulo — quae in margine leguntur 'per Donatum', manus recens addidit — fol. 92 sqq. scriptum est a librario, quem Francogallum fuisse sibi persuasit Sabbadini, saec. XV in.: pertinebat enim codex ille miscellaneus ad bibliothecam Francisci Pizzolpassi archiepiscopi Mediolanensis, qui a. 1443 diem supremum obiit. Iam si quaerimus, quae ratio intercedat inter libros antea notos et novum fragmentum, quo praeter Terenti vitam tractatusque de comoedia praefationis in Andriam caput I solum contineri dolemus, primum apparet codicem Ambrosianum, quem Sabbadinum secutus littera *S* signabo, nullo modo esse coniunctum cum libris deterioribus, quos constat Italorum operam plus minus esse expertos: cuius rei vel illud est documento, quod continet voces Graecas sine ullo dubio ex eodem quo reliqua archetypo descriptas, quae in recentioribus codicibus aut omissae aut ex alio libro vetustiore suppletae sunt. Immo quam proxime accedit ad libros melioris vel optimae notae, *AV<sup>1</sup>TC*

dico, neque tamen cum uno alterove eorum tantam habet cognationem, ut aut ex ipso aut ex eodem fonte derivari possit. Nam si Sabbadini collationem perlustramus, codicem *S* modo cum Parisino *A* consentire modo ad librorum *TCV* fidem propius accedere facile intellegimus, ita ut fragmentum Ambrosianum medium quendam inter illos locum obtinere videatur. Quod quo melius cognoscatur, paucas lectiones hic subscribam ad vitam Suetonianam et Euanthii tractatum pertinentes: conferas velim vol. I

- p. 3, 5 inter finem *AS* : in fine *TV*  
 3, 11 c. lelio *A* : cum lelio *TVS*  
 3, 14 tradat *AS* : tradit *TV*  
 4, 1 laudes fucosas *AS* : fucosas laudes *TV*  
 4, 10 nihil illi *AS* : nihil ei *TV*  
 4, 16 dictum est *TS*, dictus est *V* : om. *A*  
 5, 2 inuitavit *AS* : inuitatus *TV*  
 5, 6 denumeratione *AS* : de enumeratione *TV*  
 5, 15 refutare *AS* : se tutare *TV*<sup>2</sup>  
 7, 10 qui *A* : quia *TVS*  
 7, 17 dicit *TVS* : om. *A*  
 8, 5 sarcinarum *AS* : satirarum *TV*  
 8, 17 non *AV*<sup>2</sup>*S* : om. *TV*<sup>1</sup>  
 9, 7 item *AS* : om. *TV*  
 9, 18 in actione *AS* : natione *TV*  
 10, 2 populis retentibus *AS* : populis recensentibus *TV*  
 13, 16 uel ΔFYΔΘΩ *A*, uel agaelo *S* : om. *TCV*  
     uicinorum *A* : uicinorumue *TCVS*  
 14, 1 praesidi *TCVS* : om. *A*  
 14, 6 a poetis *AS* : a potis *TCV*  
 14, 10 priorū *A* : om. *TCVS*  
 15, 1 ad *A* : om. *TCVS*  
 15, 11 nunc operis instantes *A*, operis nunc instantis *S* :  
     operisue instantis *TCV*  
 16, 3 distributum *A* : distributa *TCVS*  
 16, 11 nunc ficta poenitus *A*, nunc penitus ficta *S* : non  
     penitus ficta *TC*, penitus non ficta *V*  
 16, 15 caueret culpam *A* : cauerit culpam *VS*, cauerit  
     culpa *TC*  
 16, 18 componeret *A* : poneret *TCVS*  
 18, 11 cantores *AS* : actores *TCV*  
 19, 7 egerunt *A* : om. *TCVS*  
 20, 1 inuenimus *A* : inueniemus *TCVS*  
 20, 4 uilitatem *AS* : om. *TCVS*



- p. 20, 9 non aut *A* : om. *TCVS*  
 20, 10 quodque *A* : tum quod *TCVS*  
 20, 20 adulescentes *A* : adulescentulos *TCVS*  
 21, 20 suarum fabularum *A* : fabularum suarum *TCVS*.

Haec sufficiant. Videmus igitur codicem *S* neque ad Moguntinum archetypum librorum *TC* neque ad Vaticani *V* fontem, sed ad librum quendam redire, ex quo et *TC* et *V* aliis intercedentibus originem duxerunt. Fuit autem ille codex quem dico necessitudine quadam coniunctus cum Parisino *A* ita quidem, ut et in rectis et in falsis cum eo saepius consentiret; nonnullis autem locis illum superiorem fuisse libro omnium qui aetatem tulerunt vetustissimo docent hae lectiones:

- p. 5, 14 eamque *S* (*Schopen*) : namque *A*, eandemque *TV*  
 7, 4 popillio *S* (*Muretus*) : popillo *A*, pompilio *TV*  
 7, 15 in nauim *S* (*Schoell*) : nauem *A*, nauim *TV*  
 14, 19 condam . . . legem *S* (quandam . . . legem *Schopen*) :  
 quadam (quedam *TC*) . . . lege *ATCV*  
 16, 1 reperta *S* (*ed. princ.*) : repetita *ATCV*  
 16, 4 actu *S* (*Schopen*) : actū *A*, acta *V<sup>1</sup>C<sup>2</sup>*, om. *TC<sup>1</sup>*  
 27, 5 Πρωτος δοιος ΠΕργ. τοϋ δοοϋ *S* (*em. Sabbadini*  
*πρωτος λογος ο προ του <δοειματος> λογος*) : lacuna  
*in C* (*quam explevit Rabbow sic ο προ του δοει-*  
*ματος λογος*), om. *ATV*; *in A* *propter ομοιοτέλευ-*  
*τον λογος . . . λογος* etiam antecedentia uel — elocutio  
*omissa sunt*.

Itaque fragmentum Ambrosianum non solum ad textus historiam quam dicunt melius cognoscendam non nihil valet, sed etiam aliquot emendationes virorum doctorum optime comprobatur; quo magis dolendum est satis exiguam tantummodo commenti partem in *S* esse servatam. Mediolanensem codicem ab homine Francogallo scriptum esse suo iure statuit Sabbadini, unde colligi potest ipsum exemplar, ex quo *S* transcriptus est, tunc temporis in Gallia fuisse. Quodsi idem v. d. coniecit Ambrosianum fragmentum ad vetustum Stephani exemplar manuscriptum redire, hanc quidem coniecturam in transitu commemorasse satis habeo, cum de illius codicis indole atque naturam nobis constet (cf. vol. I p. XVI); hoc vero non

praetermittendum mihi videtur praeter Stephani librum et codicis *S* archetypum ad Galliam pertinere codicem Parisinum *A*, codicem Cuiacii, codicem Carnotensem (cf. etiam quae P. Lejay in 'Revue critique' 1903 p. 168 sqq. de librorum *B* et *V* origine exposuit nec non quam ipse vol. I p. XXVII de Moguntino codice coniecturam protuli): quae si respicimus, haud scio an merito Gallia vocetur patria commenti Donatei. Simul fieri non potest, quin nobis in mentem veniat illius epistulae, qua Servatus Lupus Ferrariensis a Benedicto III petivit, ut Donati commentum in Galliam mitteretur (v. vol. I p. VII testim. 10).

Quod attinet ad codices a me in usum vocatos, iam ex tabula quam vol. I p. XLIII proposui satis apparet, quantopere in hac commenti parte bonorum librorum subsidio destituti simus. Nam cum *A* ad Ad. I 1, 40 deficiat, *B* praeter commentum ad Hec. III 4, 16 — V 2, 8 nihil contineat, *V* vero inde a medio Adelphorum commento fere totus in deteriorum librorum partes transierit, codex Oxoniensis *C* solus est, cui fidem habere possimus; hunc autem saepe miserrime esse corruptum et Dziatzko olim monuit et cuiusvis fere paginae adnotatio critica ostendit. Quare veniam spero me impetraturum, quod saepius quam antea factum est coniecturis vel alienis vel meis indulsi, ne haec editio crucibus obsita quasi coemeterii speciem praeberet. In Phormionis commento, ubi ad *C* accedit Riccardianus *R* eiusdem ni fallor prosapiae, passim adscripsi lectiones codicis *O*, quod post ea quae de huius libri origine vol. I p. XXVI sqq. disputavi pluribus probandum non existimem.

Scholia quae pertinent ad Phormionis act. II sc. III in libris melioris notae distributa esse in duos ordines, quorum alter alterum excipit, iam pridem post Sabbadinum monui vol. I p. XI—XV; XXII: quos ordines iuxta ponendos curavi, ne quis scholia ad eundem versum spectantia diversissimis locis conquirere cogeretur. Sed cum altera adnotationum series a scholio ad v. 5 capiat initium, manifestum est compilatorem eius quod ad nos

pervenit co  
consuetudin  
iniret. At  
Terentius  
esse com  
providet  
Verantiam  
ordo inter  
series inter  
et q<sup>1</sup> non  
buas, cum  
cf. 21<sup>1</sup> 2

Iam

mira qua

is scholio

est alter

tantum

item res

et 73—

ordinis

cum sch

riorem

B 35—

videant

Sed

intricata

firmamam

turus, ubi

in Mner

nostri org

Ne ta

appendic

singulis

quod saepi

editionibus

velim nova

Continebit



pervenit commenti priora ad hanc scaenam scholia ex consuetudine sua composuisse, priusquam novam rationem iniret. Atque Rabbow quidem (De Donati commento in Terentium p. 331) usque ad v. 7 ordines contaminatos esse contendit ea de causa, quod in altera serie (B) sic procedat ordo scholiorum: 5<sup>1</sup>. 2<sup>3</sup>. 6. 7<sup>1</sup>. 5<sup>4</sup>. 9<sup>1</sup>. 7<sup>2</sup>. 8. 9<sup>2</sup>. Veruntamen cum scholiis 3<sup>6</sup> et 3<sup>7</sup> post 4<sup>5</sup> collocatis iustus ordo interrumpatur, iam hinc duae illae adnotationum series inter se discedere videntur; etenim quod scholia 5<sup>4</sup> et 9<sup>1</sup> non suo loco leguntur, huic rei nolim nimium tribuas, cum alibi quoque tale quid factum cognoscatur, cf. 21<sup>1</sup>. 2<sup>3</sup>. 22<sup>1</sup>. 21<sup>4</sup>. 5. 6. 7. 22<sup>2</sup>. 23<sup>1</sup>. 2.

Iam si totam hanc commenti partem perlustramus, mira quaedam res animaduertitur: usque ad v. 30 enim is scholiorum ordo, quem nota B signavi, longe amplior est altero, at inde a v. 31 usque ad v. 59 paucissima tantum huius ordinis exstant scholia, plurima ordinis A; item res se habet in sequentibus, nisi quod ad vv. 61—66 et 73—79 par fere est numerus scholiorum utriusque ordinis. Hinc nascitur suspicio scholia B 5<sup>1</sup>—30 una cum scholiis A 31—90 ad unum eundemque fontem uberiorem esse referenda, cum scholia A 3<sup>6</sup>—30 et scholia B 35—93 ad alterum commentum satis exile pertinere videantur.

Sed cum intra fines huius praefationis res admodum intricata expediri non possit, hic subsistam quae ad confirmandam sententiam in promptu sunt alio loco expositurus, ubi simul rationem ducam eorum quae H. T. Karsten in *Mnemos.* XXXII 209—251; 287—322 de commenti nostri origine protulit.

Ne tamen omnia in posterum differre viderer, in appendice hic illic data occasione paucis exposui, quid de singulis scholiis eorumque auctoribus sentirem. Ibidem quod saepius ad EUGRAPHI adnotationes relegaris, quae in editionibus WESTERHOVII et KLOTZII desiderantur, expectes velim novam editionem, quam mox prodituram spero. Continebit autem volumen tertium praeter EUGRAPHI com-

mentum et scholia Bembina indices auctorum, rerum, vocabulorum nec non catalogum dissertationum, quae vel in adnotatione critica vel in appendice adferuntur.

Sed priusquam finem praefandi faciam, viris doctissimis Georgio Goetz et Friderico Schoell, qui ne in hoc quidem volumine edendo mihi unquam defuerunt operaeque partem haud minimam ea qua insignes sunt liberalitate susceperunt, gratias agam et maximas et debitas.

Scr. Halis Saxonum Id. Nov. a. MCMIV.

P. W.

COMI

Donat. com.